

# PROLOGUS, ET CHORI MUSICI PRO TRAGOEDIA AUTUMNALI,

Data

A Catholico & Episcopali Lyceo ac Gymna-  
sio Societatis JESU ad S. Pauli Ratisbonæ ,

1752.



---

Ratisbonæ , typis Joannis Viti Rädlmayr , Aulici  
& Episcopalis Typographi.





## PROLOGUS.

*Personae.* Danubius, Mercurius Christianus, Reginus, Nabus, Fluvii complures.

### CHORUS FLUVIORUM.

Jo vive Germanorum  
Imperator Fluviorum!  
Vitreâ inventus bigâ,  
Muros lambe, campos riga.  
Vectigales  
Hos Sodales  
Miti bea lumine.

Vive Ister, felix flue!  
Auspicato rore plue!  
Nilo fratri dum æquales  
Plures tandem per Canales  
In Euxinum  
Fessus sinum  
Leni tendas flumine.

*Danub.* Placent devota, ô chari subditi, Danubio vota:  
Placent & tributaria,  
Quæ mihi substernitis, aquarium munera,  
Tam liquida vestrae in me fidei testimonia.  
Verum hæc aliò convertite studia.  
Hanc urbem aspice, communi hanc Marte defendite;  
Est enim maxima Danubii gloria.

### A R I A.

I.  
Tarpejum supra verticem  
Extollat Tybris gurgitem,  
Et fluviorum reliquam  
Ut opprimat Rempublicam,  
Dictator hic efferat se.

2.  
Ægypti jaçet horrea,  
Quæ suâ ditat operâ,  
Disrupta post repagula,  
Hiantia per jugera  
Dum Nilus exonerat se.

Superbum sperno Regulum,  
Tarquinii hunc æmulum.  
Est major Istro gloria  
Augusta in Tiberia: (\*)

Augustum hac prædico me.

Quidquid enim à vetustate inclytum, quidquid ab armis splendidum,  
Urbs mea hæc superat; & urbes hinc omnes ad certamen provocat:  
*Regina* verè maxima, & omnium Germaniæ urbium primogenita,  
Sedes olim regia, & antiquissimis Theutonum comitiis celeberrima.  
Verùm quid *Reginus* mihi filius? (\*\*) quibus frontem involvit nubibus?

*Regin.* Fuge! fuge, ô Genitor! timor, qui linguam cohibet,  
Plura eloqui prohibet.

*Danub.* Masculum, ô fili, cape animum. Quod malum, ediffere,  
Plura non sinit dicere?

*Regin.* Heu malum quām formidandum!  
Nobis adhuc in tempore, dum licet, declinandum!

De tua quippe gloria, de Augusta agitur Tiberia.

*Danub.* Eloquere. Aut quid diutius folicitum suspendis animum?

*Regin.* Heu durum imperium!

Non flavos Tagi pulveres,  
Non Gangis quæro lapides,  
Est major Istro gloria  
Augusta in Tiberia:

Hac divitem prædico me.

## A R I A.

I.

Meas cùm ad ripas starem,  
Ut pararem  
Digna Patri munera:  
Mutuae ut unionis  
His in donis  
Grata ferrem symbola.

2.

Se repente luētu plena  
pandit scena,  
Visa nunquam haëtenus.  
Sylvæ omnes tristè gemunt:  
Quin & tremunt  
Rupes cum arboribus.

3.

Mox capessunt fugam Nymphæ,  
cum his lymphæ  
Verso fluunt gurgite.  
Sed his sumnum è portentis  
Horror mentis  
Linguam vetat prodere.

*Danab.* Quousque te patrio oppones imperio,  
Fili refractarie? sine mora, quod restat, eloquere.

*Regin.* Heu! trenit animus ad tam horribile spectaculum!  
Aures adhuc geminæ ad tam terrificum tinniunt oraculum.  
Ex imis sylvæ recessibus hæc vox infonuit auribus:  
Fuit, fuit *Augusta* Tiberia.  
Plura, quæ addidit, attonita non comprehendit memoria.

*Danub.*

(\*) Augusta Tiberia, *Regina*, *Reginobürgum* antiqua sunt Ratisbonæ nomina.

(\*\*) Fluvius Ratisbonæ propinquus, unionibus dives.

*Danub.* Animum, fili, fortiorēm īdīcē: non hæc Oracula,  
Sed auræ garrulæ fūrē ludibria.  
Tiberia coelo magis est grata, quām ut tam tristia metuat fata.  
En redit Nabus, alter filius, te, ut spero, felicior nuntius. (C)  
*Nat.* Vive, o Genitor, & longiorem mei absentiam  
Per novi Hospitis excusa prætentiam.  
Tuum hic petens alloquium, me sibi viæ adlegit socium.  
Jam meum, rogo, ne sperne homagium:  
Hunc annulum meis ē visceribus erutum,  
In pignus fidei accipe & testimonium.

### A R I E T A.

Est ille quidem ferreus,  
Nec habet vilis circulus  
Insertum adamantem. Invicta in constantia,  
Et fide semper integra,  
Vel ferrum superantem.

Sed flammam cordis respice,

Præ adamantium fulgure

Et auro scintillantem,

3. Invicta in constantia,

Et fide semper integra,

Vel ferrum superantem.

*Danub.* Placet hoc mihi donum, sed magis animum probō tam bonum.  
Quis vero peregrinus hic homo? quod genus? unde domus?  
*Mercur.* Amicus est tibi addicissimus, & nuntii felicis bajulus.  
Novos hodie videbis hospites, futuros, si annuas, Urbis tuæ Indigetes.  
*Danub.* Num Phœbus cum Cynthia ad nostra demittet se littora?  
*Mercur.* Majora, & magis propitia secundo flumine advehentur Numinæ.

### A R I A.

Non Phœbus plenâ dexterâ  
Dispensat dum favores, Tam larga spargit munera  
In segetes & flores.  
Tantorum tibi Hospitum  
Quām speres ab adventu.  
Quod dabis, cernes redditum,  
Majore cum proventu.

Sit, mendicato Cynthia

Superbiat splendore,

Minora spernat fidera,

Et obtegat pallore.

Ad novi ortum luminis

Lux omnis mox hebescet,

Illustribus ab Advenis

Se viçtam erubescet.

*Danub.* Promittit grandia hic nobis advena:  
Sed num, quæ spondet, etiam præstabit?  
*Mercur.* Eventus ipse hoc comprobabit.  
*Regin.* Cave, o Genitor! ne te dolosa decipient verba.  
Quām ſepe latet anguis in herba,  
Et blanda verborum lenocinia pestifera tegunt toxica.  
Aliud me visa docent ostenta.  
*Danub.* Timere define, ſeu ſint vaticinia,  
Seu irania phantafæ commenta.

## TERCETO.

Danub. Quidquid mihi parent fata, Merc. Læta, & ter auspicata

Impavidum omne hoc feriet me. Non dubia tibi promitte jam spe.

Reg. At quis fata speret grata

Tam tristia signa dum ingerunt se.

Danub. Jam expertus sum laborum Merc. Quin immensus jam bonorum

Nihil horum terret me. Cumulus exspectat te.

Reg. Faxint dii! ne malorum

In acervum vertant se.

Danub. Suavi somno jam difflabo, Merc. Argus ego excubabo,

Sinistri aut fausti quid maneat me. Ne triste quid interim moveat se.

Regin. Hecatomben ego dabo,

Incolumem, Pater, revisam si te.

Danub. Jam jam labat caput grave, Merc. Dormi ergo, dormi Suavè,  
Mihi me relinquite. Tanta latus dormi spe.

Regin. Vale Pater, verùm cave,

Hæc ne spes deludat te.

## CHORUS I.

Personæ. Idololatria, Danubius, Reginus, Nabus, Fluvii, & Socii

Idololatriæ.

### CHORUS SOCIORUM IDOLOLATRIÆ.

Vale Ister!

Tam amata,

Jam ingrata

Vale & Tiberia!

Casus cogit nos finister

Olim totâ

Tam devotâ

Cedere Bojaria,

Lucus vale!

Vobis pii

Sacra Dii

Valeant altaria!

Præmium quæ refers tale,

Quondam chara,

Jam amara,

Vale! Vale Patria!

Danub. Quis clamor mea rumpit somnia?

Quis tanta oculis furatur gaudia?

O Divinam certè faciem! o speciem quam amabilem!

Quid petas, o Dea, clarius ediffere:

Mihi justa fas est capeſſere. - - -

Fallor? an ipsa luci antifita, me sua dignatur præſentia?

Quid vero frontis hæc tristia augurantur nubila?

Quod genus illatum injuriæ?

Idololat. Etiamnum Ister audet querere?

## ARIA.

# A R I A.

*Amico ambo mos melior* & *amorem tuum habemus* *ad te ob*

I. *Hoc merui Ister de te?*

*Hoc teneri ferunt amores?*  
*Sic meos rependis favores,*

*Manu semper prodiga,*

*Plura quos per saecula*

*Effudi ingrate in te?*

*Quot laureas tibi plantavi?*

*Quot Hostium tabo rigavi?*

*Quot tuo tributaria*

*Subjeci sceptro flumina?*

*Et tamen sic rejicis me?*

*Hoc merui Ister de te?*

*Hoc interim oraculum, ex intimis luci adytis profuum*

*Tuis pervolve oculis, infige & animis.*

*Ratis cum advenierit hospita,*

*Fuit, fuit Augusta Tiberia.*

Danub. *Vel ipsum juro Neptuni Tridentem, arguis innocentem.*

*Aut sic oblitem tuorum me credis Deorum,*

*Ut Rati incognitae stationem cogam cedere?*

*Ab sit ab Istro tam impiae nota perfidiæ.*

# A R I A.

I.

*Habet hoc Ister, quo rideat mare;*

*Sibi quod soleat semper constare.*

*Terra dehiscat, aut fulminent astra;*

*Ferrea segete horreant castra.*

*Furiæ omnes in unum bacchentur:*

*Pestes & cædes, & mortes grassentur.*

*Major Alcide,*

*Invicta Fide,*

*Hic tamen stat.*

2.

*Aureos sponde, aut gemmeos montes,*

*Divites junge Paetoli aut fontes.*

*Helenas admove, faces amorum,*

*Nectar asperge his dulce verborum.*

*Saxa Medusæ minentur, aut Scyllæ,*

*Charites lactent, aut Veneres mille.*

*Hic semper idem*

*Servabit fidem*

*Tibi quam dat.*

Adeste filii, focii adeste & reliqui:  
Ad exhibendam fidei meæ tesseram, & vestram commodate operam.

Nabuſ. Quid Genitor jubes?

En patria ad obsequia tua parata stat pubes.

Regin. Quid video? triste oraculum, haustum ante auribus,

Jam ipsis quoque se infert luminibus?

Idolol. Vestrum est eventum prævertere,

Et gloriā hanc vestram defendere.

Danub. At ubi jam fraudum bajulus? ubi mendax ille Mercurius,

Qui suis me promissis fascinare tentavit?

Nabuſ. Rati jam propinquæ in occursum properavit?

Regin. Nunquid divinavi, Sinonem alterum

Hunc nuntium dum prædicavi?

Danub. Falso, non porro nos dementabit:

Quas meruit, sua cum Rate' mox poenas dabit,

Quæ te, o Genitor, vertit sententia?

Nabuſ. Num ergo desiderata negabis hospitia?

Danub. Quin dabo, imo in fundo dum tumulabo.

## D U E T T O.

### I.

Nab. Ah mitiorem indue, Nab. Admitte pronus advenas,  
Te precor, Pater mentem. Hospitibus his favē.

Regin. Quid Patri tu obstrepere? Regin. Ne viperas sic foveas  
Vah natum impudentem! In finu, Pater cave.

Nab. Hanc Ratem lenis promove, Nab. Non manum times vindicem,  
Quæ nostram vehit sortem. Quæ plectat nos & Patrem?

Regin. Profundo hauri-vortice; Regin. En vappam hanc degenerem:  
Nam nostram vehit mortem. Quàm pudet esse fratrem!

Danub. Meam non muto sententiam.  
Fidem ut meam tibi, o Sacerdos, demonstrem integrā;

Quæ destinavi, sunt exequenda:

Hæc Ratis nostro a portu est arcenda.

Quin ipso est Oceo mergenda.  
Sic tibi porro propitia hæc reddes Numina.

## A R I E T A.

Horum pio ab influxu, Non uno succollante,  
Læta pace, plena luxu Divino hoc Atlante,

Tibi fluent tempora Vel supra tidera

Scandet Tiberia.

Danub. Eja Sodales! vestros exonerate aquales,

Fluctus geminate fluctibus,

Suas nobis suppetias foederatus mittet Æolus.

Vos armati state in littore!

Si parcant undæ, mand hicebit opprimere.

Eja Filii! vos armis accingite,

Dominæ vos huic adjungite.

## C H O R U S.

*Fluviorum.*

Pereat!

Occidat!

Spe sua naufraga,

Fluctibus ebria,

Ruat ad Tartara

Ratis sacrilega,

Quam cūpit perditam fluminum Rex.      Hæc proletaria hominum fæx.

*Sociorum Idololatriæ.*

Pereat!

Occidat!

Nostrâ aut dexterâ

Per mille vulnera,

Dudum commerita

Ruat ad Tartara

## C H O R U S II.

*Personæ:* Idololatriæ, Danubius, Nabus, Reginus, Mercurius Christianus, Religio, Fluvii, Socii Idololatriæ, Nautæ.

*Idolol.* Generosa jam arma induistis Socii:

Pares jam animos induite strenui:

Deorum honorem vindicate, urbem hanc nostram propugnate.

Duce alio non indigetis, mea si strenuè vestigia legetis.

## A R I A.

I.

Non mihi est mens tam imbellis,  
Bellorum jaētata procellis,  
Eorum ut metuat vim.  
Conflatas è ferro cohortes,  
Si tela formidem aut mortes,  
Amazon non mascula sim.

Deorum Zelotes honoris,  
Tot flumina fudit crux  
Quis alias, dicite, quis?  
Tot urbes qui solo æquavit,  
Tot strages & cædes paravit,  
Vel Hercule major sit is.

*Regin.* Et meus mihi calet animus, sunt martii & mihi spiritus.  
Intrepido pectore vel ipso contendam cum Hectore.

*Danub.* Frustra sumus: nihil efficiimus.  
Tota si affundamus maria, in vanum cadet opera;  
Hæc enim Ratis, quo mergatur profundius,  
Hoc semper ascendit altius.  
Aliis hinc armis agendum:

Ne nostra in littora novus descendat advena,  
Jam prohibendum.

*Idolol.* Jam stamus parati. Naufragium si non in flumine,  
Hoc certe in littore, novæ instat Rati.  
Suas si etiam Ister sociabit copias,  
Vel ipsas Orci superabimus furias.

*Mercur.* Quousque infana tendunt confilia?  
Quousque se vestra jaētabit audacia?  
Fluctus fluctibus cumulate, arma & manus sociate,  
Vestra tamen omnia hæc Ratis eludet molimina.

2.

ARIA.

# A R I A.

I.

Ut rupes in mari plantata,  
Aut domus in petra fundata,  
Procellæ fragores,  
Ventorum labores  
Secura eludit,  
In hostem retrudit,  
Et suo robore  
Defendit se.

2.

Sic Ratis hæc petræ cognata,  
Et Petro Nauclero dicata  
Hos ridet conatus,  
Inanes tū flatus:  
Hoc uno regente  
Dum Crucis tridente,  
Optato Littore  
Reponit se.

Quin ipsus huic te Rati inclinabis, vietas manus cum tuis ultro dabis.

**Danub.** Promissis tuis, perfide, & minas audes jungere?  
Faxo! te, augur audacule,  
Tua cum Rate Orcus deglutiat hodie.

## C H O R U S   N A U T A R U M.

Celeusma canamus!  
Defuncti procellis,  
Et Æoli bellis,  
Usque propitio  
Cœli Favonio  
Vota solvamus.

Jam portum tenemus,  
Tam diu quæsitum,  
Tot votis cupitum.  
Legamus carbasa,  
Tenaci anchora  
Ratem firmemus.

**Danub.** Quid video? non me decipio.  
Hæc ipsa est forma, quam dormienti Morpheus  
Vivis depinxit coloribus.  
O Dea certè; haud enim vultus est tibi mortalis!

**Regin.** Videte Filii, Majestas & gratia hæc sit qualis.  
**Religio.** Vel ipsa præ Cynthia tam blanda me rapiunt lumina.  
Non falleris, amice eandem vides, quæ per somnium tuum petuit hospitium.  
Amicam & Ratem vides. Jam cura, tuis ut verbis sua constet fides.

# A R I A.

Non Argonautæ venimus,  
Non vellus auri quærimus,  
Aut rapere, quæ chara.

Est dare nobis animus;  
Non enim, quam ad veximus,  
Hæc Ratis est avara.

*Est Navis Infitoris:*  
Celestis quæ favoris  
Tam larga vehit dona,  
*Est Ratis verè Bona.*

Navis hunc malum, crucis hanc aspice arborem,  
Bonis innumeris fertilem:  
Hanc tua in urbe plantabo:  
Fructus, quos inde colliges, uberrimos dabo.

*Idol.*

*Idol.* Promissam jam fidem servato,  
Has contra Sirenum blanditias immobilis stato.

## ARIA à QUADRO.

*Danub.* Quid agam ? quod dubius vertam jam me ?

*Idol.* Num igitur, perfide, deseres me ?

*Mercur.* Ne Hospitem tantam repellas à te.

*Regin.* En facie blanda nos vocat ad se.

2.

*Danub.* Magnetica , sentio , trahit me vis.

*Idol.* Amorem num aliò vertere vis ?

*Regin.* Et huic dedisse te fidem non scis ?

*Mercur.* Magnetem hunc sequere , ferrum jam sis.

3.

*Danub.* Stat igitur fixum , huc vertam jam me.

*Idol.* Oraculum ergo non movet hoc te ?

*Mercur.* Est umbra inanis , mox destruet se.

*Regin.* Hoc Numine tutum non feriet te.

*Danub.* Oraculum hoc ipsus implebo , & minas sic tuas irridebo.  
Jam Ratis advenit Hospita , fuit , fuit itaque Augusta Tiberia.  
Non meæ tamen urbis sic gloria concidet ,  
Quin novum decus novo à nomine recipiet .  
Vale igitur Tiberia ! Vale Reginoburgum ,  
Nomina valete & reliqua.

## A R I E T A.

Urbs ista Istri gloria ,  
A Rate hac tam bona ,  
Quæ tanta tulit munera ,  
Vocetur Ratisbona.

*Idol.* Sic ergo fedem hanc meam deferam ?

Sed non inulta hoc probrum perferam.

*Danub.* Veni ergo Hospès gratissima : patent novæ urbis limina :

Hic felix impēra , & tua nos rege ad placita.

*Religio.* Et tibi quod inde non sp̄eres emolumētum ?

Quod nova ab Hospita Urbi tuæ accedet ornāmentum ?

Novo cum nomine , & nova fulgeat Ratisbona specie ,

Futuri quam præscius hac in charta descriptis calamus .

Tu nuntie , nova hæc decora fidelis explica .

*Mercur.* En quanta hæc Basilica ! quam augusta ! quam magnifica !

En huic vicinam alteram Ducis tui lavacro inclytam !

En quanta hic alia sunt Asceteria ,

Mitrīs & Pedis , quin & Principum insignibus splendida ?

En rursum alias supremo Numini dicatas ædes!  
En denique hic novas Musarum sedes!  
O urbem felicem hac Hospite!  
Securos Cives tanto sub Numine!  
Eja Pater, jam aliò hæc arma convertimus,  
Vana hæc Numina suis de sedibus dejicimus.  
*Danub.* Hanc prius hospitem, ut decet, excipite,  
Rati huic Bonæ solenne celeusma accinete.

### C H O R U S.

Jo Diva Hospes ave!  
Istro semper Clemens fave!  
Quamvis tibi non fint pares,  
Novos tamen subi lares,  
Tuo tege Numine.

Et tu cunctis major fatis,  
Inter fluctus surge Ratis:  
Nostris flue votis prona,  
Et sic semper Ratis bona  
Sis re, sis & nomine.

### O. A. M. D. G.



Univ. B.M.  
München